

Q.K.
514
37.

X 2313048

II 9
430

AD
PVBLICAM RENVNCIATIONEM
CONRECTORIS
IN MICHAELEO LVNEBVRGENSI
A. D. VII. IVNII H. L. Q. C.
CELEBRANDAM

ILLVSTRISSIMVM AC
REVERENDISSIMVM
PRAESIDEM

NEC NON
PATRONOS, FAVTORES ET
CVLTORES LITERARVM
INCLITAE VRBIS HVIVS RELIQVOS
INVITAT
ET

NVM HONORIFICVM SIT OPTIMIS AVTORIBVS
IN SCHOLIS PRAELEGI
PAVCIS DISQVIRIT
IO. MICHAEL HEINZIVS
RECTOR.

LVNEBVRGI, TYPIS STERNIANIS.
CIO MDCC LIV.



AD
PUBLICAM LIBRARIAM

CONTRACTOR

DE MICHAELIS LIBRARIUS

AD IVRIS

LIBRARIUS

LIBRARIUS

LIBRARIUS

LIBRARIUS

LIBRARIUS

LIBRARIUS

LIBRARIUS

LIBRARIUS

LIBRARIUS

LIBRARIUS

LIBRARIUS

LIBRARIUS

LIBRARIUS

LIBRARIUS

LIBRARIUS

LIBRARIUS

LIBRARIUS

LIBRARIUS

LIBRARIUS



Non eadem sunt iudicia hominum, qui literati censentur, de antiquis Graeciae Latinaeque *Auctoribus*, quos in scholis legere, *classicosque*, non ab his scholarum classibus, qui pene ridiculus quorundam error est, sed ab singulari praestantia sua, nominare solemus. Sunt enim, qui cum olim saepe audiuerint, istos homines graece latineque egregie scripsisse, eaque re inducti et ipsi aliquot elegantissimarum phrasium volumina inde operose colligere dignati sint: nullius autem praeterea laudis ipsis tributae recordentur: postea ubi in academiis ad disciplinas reales, ita enim loquuntur, accedentes omnem, cum caeteris artibus puerilibus, eloquentiam abiecerunt, merito etiam libros istis studiis accommodatos negligent, atque ad auctorum classicorum nomina nasum suspendant. Quem contemptum, contemnti quam contempto turpiorem, adeo interdum grauitus ferri videas ab eruditioribus, qui, quanta ingenia fuerint Caesar, Tullius, Maro haut ignorant, ut scholis etiam succenseant

A 2 e quibus

e quibus ista ad summos homines contumelia deriuetur. Horum sententiam iudicum si sequaris, minime conueniet, monumenta summorum ingeniorum, quae hinc principes bellicae prudentissimos duces praeceptis instruere, hinc oblectare suauissima voluptate acutissimum quemque, hinc prodesse doctissimis vnice debeant, ad puerorum ab extrema ruditate liberandorum cruciatus, ac nauseantium adolescentum molestiam adhiberi. Non quorumuis vel tenuissimorum in gratiam Xenophontem Cyropaediam scripisse, neque, ut loquendi formulas discerent pueri, exaratas esse Plinii Epistolas: verum ut monumentum animi, ingenii ac virtutis, ipsiusque adeo auctoris imaginem posterius haberent. Quid autem esse magis ridiculum, quam Tacitum, omnis prudentiae ciuilibus fontem, sermonis et verborum causa consuli? puerum ad sales Terentii male versos caesum flere? alium, ut chriam forte aliquam corradat, a splendidis Ciceronis orationibus opem exemplumque petere? et quae sunt his similia. Posse sane tenuem hanc operam adolescentiae alios libellos e. g. Pontani cuiusdam Progymnasmata, aut Scholam aliquam Latinitatis, etiam feliciter praestare, neque Herculis claua ad muscam tollendam opus esse: magnos illos auctores viris relinquendos, qui et intelligere eorum virtutes, et recte aestimare, admirari denique et exprimere imitando possint.

Honestam et liberalem, et, si non grata scholis, certe dignitati laudique optimorum ex omni aeuo scriptorum accommodata videtur haec oratio: quam proinde, et quam vera sit, cognoscere, nec superuacaneum fuerit, nec ab huius descriptionis consilio alienum. Cum enim iuuentuti nostrae Michaeliticae nouus humanitatis Magister praeficiendus, atque, his ipsis tabulis, quasi in scenam producendus sit: quidni liceat, iisdem illos sapientissimos aequae

ac

ac pulcherrimos humanitatis graecae latinaeque autores, in quibus explicandis optimus quisque Praeceptor libentissime versatur, scholis nostris vindicare? Videamus itaque, vtrum scriptores isti praestantissimi, qui, secundum sacras literas, vnicum maximum decus scholarum sunt, ab his paria referant, an indigne secum agi iure, si reuiuiscerent, queri posse videantur, quod puerorum adolescentiumque ingenuorum terantur manibus, ipsisque ad scientiam, atque ad omnem liberalem cultum ingenii animique duces dari soleant.

Plurima sunt ornamenta, quae praestantissimis autoribus debent scholae, hoc est discipulorum ac doctorum chorus omnis. Cum enim vtrique, nescio quo fato, mutuas querelas fere perpetuo exercent, seque vicissim, hinc indignae tyrannidis, hinc dirae *Ἠγειομαχίας* accusent: vtrinque credo, querendi causae haut paulo iustiores forent, si studia ipsa, quae tractant, nihil suauitatis haberent, sique literae graecae et latinae ex obscuris et parum elegantiae, vel autoritatis, habentibus libellis percipi deberent. Nunc vero, siue personas autorum nostrorum spectes, viri sunt, aut honoribus in sua quisque republica, aut ingenio, aut vtroque longe principes: siue internam ipsorum librorum praestantiam, sunt ii fontes antiquissimi et purissimi sapientiae diuinae et humanae, historiatarum eloquentiae ac reliquae omnis elegantiae adolescentibus necessariae ac salutaris, viris autem decorae, a quibus vltima posteritas exempla perfecta dicendi pariter ac sentiendi iudicandique repetit: siue denique cogites laudem, qua a tot inde seculis floruerunt, eam constat tantam esse, ut totum, qua humanus est, orbem terrarum sit complexa? Profecto aut horum librorum tractatio, aut nihil omnino, discendi laborem superabit, et institutionis

molestiam minuet. Fac enim, quod raro, aut nunquam
accidit, in modico etiam coetu, ut auditores omnes aut
stupidi sint, aut negligentes (nam in trinis quaternisue frugi
adolescentulis vel pueris informandis fidei et operae suae
pretium se facere credit aequus et amans humanitatis
praeceptor) verum fac fato quodam malo hoc ita accidisse,
ipse saltem magister, modo rudis et ab elegantiae sensu
alienus ne sit, lectione et consideratione horum scripto-
rum delectabitur, rerumque et orationis pulchritudine, in
ipso cogitando et interpretando, iucunde mouebitur.
Iuuenes autem quid excitaret potentius ad scholam
litterasque amandas et colendas, quam hoc maiorum de
ipsis iudicium: autores nullos satis dignos esse, qui ad legen-
dum imitandumque proponantur adolescentiae studiosae,
nisi absolute optimos, prudentissimos, disertissimos: non
hoc a se exspectari, vt qualemcunque iudicandi, dicendique
et scribendi facultatem consequantur, verum vt ipsorum
ratio et oratio ad optima in vtroque genere exempla con-
formetur, et, si fieri possit, cum iisdem aequetur: denique eo-
rum demum autorum cognitione et consuetudine imbuen-
das esse teneras mentes, quorum familiaritas viris etiam
in principali fortuna, et, quae huic proxima est, constitu-
tis, ad eximiam laudem proficit ac profuerit. His qui se
totos tradunt, ac formandos permittunt, ii non modo
rerum multarum ac pulcherrimarum scientia ad doctri-
nam, sed etiam, ad vitam, consilio ac virtute instruuntur.
*Habent enim, vt eleganter Seneca, cum quibus de minimis
maximisque rebus deliberent, quos de se quotidie consulant, a
quibus audiant verum sine contumelia, laudentur sine adulatione.*
Hi cum omnes eiusdem scholae adolescentulos, sine natalium
aut fortunae discrimine, ad familiaritatem suam admittunt,
nobilitant reuera omnes, et animis, hoc est vere generosos
efficiunt,

efficiunt. *Nobis enim*, inquit idem paulo post, de sapientiae studiosis, *ad nostrum arbitrium nasci licet. Nobilissimorum ingeniorum familiae sunt. Elige in quam adscisci velis: non in nomen tantum adoptaberis, sed in ipsa bona.* * Est igitur, cur hisce autoribus nostris gaudeamus et gloriemur, neque vnquam Ciceronis vel Horatii nostri, si sapiemus, nos poenitebit. Verum sunt, qui huic scholarum gloriae inuidere videntur, illi nempe, quorum paulo antefermones referebam: qui, num recte pro horum fama et gloria propugnent, gratiamque ea re ab ipsis inire videri possint, nunc paucis dispiciamus.

Non vnus conditionis aut fortunae, neque eidem vitae generi dediti fuerunt viri, quorum in scriptis scholae nostrae versantur. Alii iuxta doctrinam honoribus etiam, opibus et potentia in republ. valuerunt, quemadmodum Cicero, Caesar, Plinius: alii priuati, solo ingenio eminent: quod posterius genus iterum duplex est; alterum eorum, qui doctrinarum, quas scripto illustrarunt, publici professores in vita fuerunt, ad quos cum Graecis philosophis plerisque Quintilianus, suo etiam modo Seneca pertinet; alterum qui solius ingenii sui impetu, aut famae amore, inuitati animum ad scribendum appulerunt, quorum in numero poetae fere omnes nec non plerique historici cententur. Jam vt a posteriore genere incipiam, quos priore loco nominabam, ii praecipue in gratiam artium ac philosophiae studiosorum scripsere. Quae igitur aut suo tantum tempori, aut ad summum suae nationis posteritati destinauerant ingenii monumenta, si hodiernum apud omnes gentes, literis exultas, legi et edisci viderent, an putemus fieri posse, vt hoc ipsis non sit gratissimum? Idem fere valebit de poetis et historicis, qui virtutis

De Bruc. V. c. 15.

quidem praeconium, et rerum gestarum memoriam ad posteros transmittendam curae habent, sed ingenii tamen, eloquentiae prudentiaeque gloriam apud eosdem imprimis venantur. Itaque gratulaturi et hi essent felicitati suae, si, post tot saeculorum decursum, superstites se possent et laude florentes conspicerent. Quod vero ad primum, quod restat, genus scriptorum attinet, vel hoc abunde docet, neque illustrissimos istos autores legi et in posteritatis memoria versari noluisse, quod scriptores esse voluerunt. Neque enim quisquam scriptor hoc agit, ut peritura scribat, sed quaecunque a se scripta editioni destinavit, ea aetatem ferre cupit, et in ore manibusque hominum esse, etiam cum ipse defierit.

a/ Sed neque hoc sibi volunt isti, legi nolle optimos scriptores; sed, ne ab rudi pueritia imperitaque adolescentia, deinde, ne vocabulorum et linguae causa legantur, vnicuique commendentur, videntur intercedere. Quasi vero sine vocabulorum linguaeque accurata peritia res, et veri sensus scriptoris eruditi, elegantis et ingeniosi recte pleneque percipi possint; aut haec antiquarum linguarum cognitio mediocri paucorum mensium studio, quemadmodum hodiernarum quarundam, queat comparari; aut denique omnia, earum linguarum idiomata, vna cum necessaria rituum veterum scientia, ex recentiorum libellis tuto sint haurienda. Neque vero linguae causa amari legique noluerunt antiqui scriptores, qui eloquentiae laudem duxerunt omnes maximam, orationem autem ipsam mentem foras prodeuntem, vel barbaram et incultam, vel contumacem et politam, haberi voluerunt. Quod aliter placere hodie magnis quibusdam autoribus videmus scilicet, qui ne germanice quidem scribentes accuratiori aut elegantiae vili student, sed innumeris barbarismis, vocibus praeter rationem ac necessitatem

necessitatem nouatis, peregrinis dicendi formis, et vocabulis artium, imprimis philosophicis, etiam in orationes ad populum, atque in poësin intemperanter inuectis, quasi certatim inquinant patriam linguam, vt ex ipsa barbarie, et inscitia eius laudem quaerere videantur. Ab horum errore hominum cum longissime seiuncti sint illi veteres, quis credat eos aspernari lectores, qui linguae et orationis comandae artem velint discere; qua forte bono hoc est subtili philosopho, aut historico medicoue erudito, ad ipsam scientiam et artem, dum secum habitant, non valde opus est. orator autem, aut scriptor quicumque sine dedecore suo, lectorumque vel audientium molestia carere non potest. Neque vero ita morosi putandi sunt senes illi humanissimi, vt contemnant, aut refugiant iuuenum consuetudinem. Vere priscus ille Cato apud Ciceronem dicit: adolescentibus bona indole praeditis sapientes senes delectari, leuioremque fieri eorum senectutem, qui a iuuentute colantur et diligantur.* Quodsi chartacei illi Cicerones, Marones ac Plinii sensum haberent, quotidie, credo, experirentur adolescentes industrii et ingeniosi, se non minus magnis hisce hominibus, quam hos ipsis esse iucundos. Si enim olim mirifice dilexit Tullius Crassos, Seruium et Lentulum, adolescentulos, quod se ab ineunte aetate ad eius amicitiam adiunxissent, atque, in eloquentia addiscenda, ipsum ducem et exemplum sequerentur, quidni hodie eundem erga adolescentulos nostros ingenuos animo vteretur **? Boni ciuis patriaeque amantis est, hanc non modo dum viuas saluam velle, sed

B etiam

* Cat. Mai. c. 8.

** vid. Cic. Epist. ad Fam. 5, 8 et in Bruto 81. ad Fam. 4, 3. ib. 1, 9 ad fin.

etiam post te felix vt maneat, cupere, et, quantum liceat, providere. Talis cum praestantissimus quisque antiquorum scriptorum fuerit, ne sic quidem licuit illis centemnere iuventutem, eiusque institutionem parui facere. Posteritas enim fere talis futura est, qualem adolescentiam videmus. Hinc Cicero non vno loco negat, se munus reip. afferre maius meliusue posse, quam, si doceat atque erudiat iuventutem.*** Hinc beatos praedicat bonarum artium magistros,* et ipse plurimos libros composuit, non modo ad Quinti filii, sed ad omnium adolescentium vsus.** Quid Plinius, Tullii, sicut in reliqua laude, ita in amore iuventutis constans ac sapientissimus imitator? Nonne gratias agit Maurico suo, qui iniunxerat ipsi, praeceptorem fratris sui liberis quaerere, puod beneficio eius in scholam redierit? nonne gaudet vir, et Senator Romanus, et sui temporis in foro et in curia lumen, quod inter iuvenes sederit, quod hi silentii honorem sibi praecipue habuerint? (*) Idem alibi Isaacum rhetorem commendans praedicat vitam et homines scholasticos, quibus nihil *sincerius aut melius sit, cum contra, qui in foro librisque terantur, multum malitiae, quamuis nolint, addiscant. Scholam felicem rem esse, senibus praesertim. Nihil enim in senectute felicius, quam quod dulcissimum sit in iuventa, nempe studiis humanitatis. (**)* Quid? quod patriae suae autor fuit scholae instituendae, et ipse tertiam sumtus partem contulit? quod alimenta annua ingenuis

*** de Diuinat. 2, 2. et sub Catonis persona in Cat. M. c. 9.

* l. modo cita.

** c. g. Officia, vbi v. Prooemium lib. 1, 1. Particiones Oratorias. Libros de Oratore cf. Epist. ad Pam. 1, 9. versus fin.

(*) lege Epist. 2, 18. totam, et suauissimam viri humanitatem, ni fallor, admiraberis.

(**) Epist. 2, 3, 5.

ingenuis pueris educandis constituit? quod bibliothecam publicam patriae largitus ipse eam, habita oratione, dedicauit? * Tantosne, tam liberales, tam generosos ac comes adolescentiae fautores annon omnium saeculorum iuuentus colat, eorumque libros in sinu oculisque ferat? hosne credibile est, dedecori sibi ducturos, si resciscant, se in scholis apud nos regnare, atque omnis liberalis disciplinae vnicos summos autores et magistros esse et haberi? Nae qui hoc timent, magis cauent optimis autoribus, quam erat necesse, et eorum famae metuunt a re, qua ipsa illa maxime omnium amplificata est, et, quantum humana coniectura assequi licet, ad vltimam vsque posteritatem amplificabitur.

Cui enim debere eos putamus nominis, quo vbique fulgent, splendorem, nisi scholis, et earum doctoribus? a quibus inde ab aetate sua suscepti, commendati, ornati sunt, quae eos post occasum illum tristem bonarum literarum, per longam mediae aevi noctem, pro viribus fouerunt, ac custodiuerunt, donec eos luci publicae orientium, per ipsos, denuo literarum redderent, atque, chalcographicae artis ope, in immensum exemplorum numerum multiplicatos omnium gentium terrarumque oculis exponerent. Atque hae etiam nunc ab obliuione vindicant linguas, quibus scripserunt: in his subinde existunt viri docti, qui de illis magis magisque emendandis, explicandis, et vndecunque illustrandis cogitant: hae teneris mentibus eorum praestantiam et singularem virtutem, qua reliquis libris omnibus antecellunt, mature laudando, ostendendo, et commendando illud effecerunt, quod hodie vbique terrarum vsu

* Epist. 4, 13, tota, 1, 8, 10, 2, 5.

venire videmus, vt antiqui autores sint fundus eruditio-
nis, vt eorum opera praecipue constituant bibliothecas
principales ac priuatas: vt denique terrae et populi cul-
tissimi in eo partem gloriae suae positam putent, si horum
scriptorum vnum alterumue a se editum accuratissime, et
splendidissime ornatum dotatumque, ostentare possint.
Quodsi est aliquid dignum votis et contentione nostra
famae immortalitas (vt fuit certe ex illorum hominum
sensu maximum) fatendum est, eam ipsos et verisimam,
et pulcherrimam esse consecutos. Neque enim supersunt
tantum eorum nomina, et libri, vt alii multi, partem histo-
riae literariae constituentes, et in pluteis dispositi, ceterum a
paucissimis hominibus lecti vel legendi: sed reuera ver-
santur inter homines, docentes non rudes modo, sed do-
ctos etiam et sapientes, et cum adolescentibus viros, qui-
bus adolescentulis innotuerant: suadentes temperantiam,
iustitiam, animi magnitudinem, patriae amorem, et quas
non? virtutes priuatas ac ciuiles, non voce magis, quam
exemplo; denique nec a circulis iocantium gaudentiumque,
neque a consiliis deliberantium absunt, aequae parati et ad
delectandum in otio, et in negotio ad iuuandum. Atque
non modo, vt plerique alii, etiam inter nobilissimos prae-
stantissimosque scriptores, propter solas res, quas tradunt,
principi cuidam aut ciuitati vtiles, aut curiosis quibusdam,
qui nihil ignorare volunt, notabiles visas, semel perlegun-
tur, aut hinc inde euoluuntur, aut tamquam arca vilis et
fordida, quae aliquid auri abscondit, seruantur: verum quo-
tidie sunt in manibus multorum millium, qui eos delicias
suas faciunt, qui non dicta modo eorum, sed dictorum
quoque pulchritudinem, venustatem, altitudinem excuri-
unt, qui, ne quid acuminis aut venustatis reconditae, non
modo

modo intelligentiae, sed ipsi sensui suo elabatur, diligentissime cauent; verbo, qui non tam scripta legunt, quam scriptorem ipsum in scriptis quaerunt, ut eum tanquam amicum viventem alium ament, tanquam magistrum vitae comem ac prudentem obseruent, et tanquam fidum iucundumque sodalem familiariter amplectantur; qualem se nuper Horatii lectorem lepidissime descripsit, et probavit is, qui Horatianum carmen ad modos Teutonicos felicissime deducit hodie poeta suavisimus et doctissimus, et quo forte vix alius quisquam ingenii venustate ac dulcedine Horatio fuit similior.

At vero, dicat quispiam, hic ipse Horatius, cum viveret, laudem plausumque scholarum non magni fecit. Vide, quid victuro poetae praecipiat his versibus:

Saepe stilum vertas, iterum, quae digna legi sint,
Scripturus; neque, te ut miretur turba, labores,
Contentus paucis lectoribus: an tua demens
Vilibus in ludis dictari carmina malis?

Non ego; nam satis est equitem mihi plaudere. *

Ergo turbae, et scholarum, quas *viles* etiam vocat, laudem et admirationem eodem loco habet magnus poeta, et equitibus se placere, hoc est, splendidis et elegantibus hominibus, magis gaudet.

Est hoc omnino a satyrico in scholas non sine contumelia coniectum ita, ut ei non excidisse, tum scholarum, tum ipsius maxime causa mallet. Neque enim sibi in hoc iudicio satis constat, et leuitatis haut difficulter conuincitur. Primo enim equitum, quos hic palpat, iudicium de

B 3 poeticis

* Sermon. 1, 10, 74.

poeticis operibus alibi valde reprehendit, et rudis plebe-
culae vanitati comparat hoc modo:

Verum equitis quoque iam migrauit ab aure voluptas

Omnis ad incertos oculos, et gaudia vana. *

Deinde idem ille Horatius, qui modo contemnebat scho-
las, suaque illis carmina, tam superbule inuidebat, eadem
epistola pulcherrima ad Augustum, vt poetas, quamquam
pigros militiae et malos, vtilis tamen ciuitati ostendat, ad
scholas confugere cogitur, vbi eos ad formandum os, ac
pectus puerorum, atque ad docendam posteritatem
praeclare adhiberi, atque hac ratione paruis rebus magna,
ciuitatis nempe tranquillitatem ac salutem, iuuare: Sed
audiamus potius ipsum:

Os tenerum pueri balbumque poeta figurat;

Torquet ab obscenis iam nunc sermonibus aurem;

Mox etiam pectus praeceptis format amicis,

Asperitatis et inuidiae corrector et irae;

Recte facta refert, orientia tempora notis

Infruit exemplis, inopem solatur et aegrum.

immo puellas etiam innuptas carminibus poetarum ad
deorum religionem informari non patitur, sed gloriatur:

Castis cum pueris ignara puella mariti

Disceret vnde preces, vatem ni Musa dedisset? **

Atque vt plane expiaret illam in scholas iniuriam, et in
gratiam rediret cum illis, mox tertium librum odarum,
prioribus praestantiorem, adolescentiae scripsit et dicauit.
Ita enim exordio eius:

Odi profanum vulgus et arceo:

Fauete linguis; carmina non prius

Audita,

* Epist. 2, 1, 187.

** ib. v. 124 sqq.

Audita, Musarum sacerdos,

virginibus puerisque canto.

Itaque bona cum venia eius, et iure quodam suo Horatium legunt scholae, et ediscendum ingeniosioribus inprimis, ac generosioris indolis adolescentulis commendant: quod ni fieret, quis te hodie nosset, Q. Flacce, aut quis eques tibi plauderet, si te vna cum tuis istis, immo cum ipsa Roma rerum Domina, quam aeternam fore tibi persuaseras, dies abstulisset? Quo tum recidisset magna illa spes immortalitatis, qua nunc feliciter te potitum gaudes? et gaudeas ane, sed tanquam scholarum beneficio, quibus vnice debeas, quod Libitinam vitaueris, quod vsque postera laude recens crescas. quod Iber, et Rhodani, immo Albis et Visurgis poterit discat: verum non hoc modo, sed quod equitum etiam floriplaceas, et hoc fidere natus videaris, vt Regibus eorumque Amicis iucundus sis, quotquot illorum, non opum modo et imperii principatum tenent, sed etiam ingeniorum, vt magni Interpretis tui ad eiusmodi principem virum verbis vtar. * Admoneantur autem per te, tuoque exemplo etiam ingeniosi scriptores nostrates, ne contemnunt iuuentutem, aut in scholis ridendis ingenio abutantur, sed hoc potius curent, vt dignum aliquid scholis et iuuentute effingant, quippe in quibus nihil putatur stultius, quam ad imitandum non optima quaeque proponere.

Hoc antiquum scholarum pariter atque optimorum humanitatis autorum decus, quod mutuo sibi impertiant, in posterum huic inclitae civitati, Michaelleo praesertim nostro, asserere ac conseruare, pro sua facultate, conabitur Vir Clarissimus ac Doctissimus

IOACHIMVS

* Gesneri, τῷ πρῶτῳ, dedicatione ad Illustrissimum Dnum ab Hardenberg.

IOACHIMVS AVGVSTVS IVNACK, AA. M.
ad humanitatis disciplinam, CONRECTORIS loco, ado-
lescentiae nostrae tradendam a REVERENDISSIMO
ATQVE ILLVSTRISSIMO PRAESIDE nostro huc euoca-
tus. Quem virum vt aliquanto propius cognoscant (est autem
dignissimus honestissimi cuiusque cognitione) age breui-
ter potissimas vitae eius rationes recensebo.

Quae vero posset ab inclitis Wolfiorum, Kunadorum,
Toepferorum ac Weickhmannorum nominibus desumi
natalium eius commendatio, ea in praesenti omissa, sufficiat
memorasse, ab honestis Parentibus natum M DCC XXXII
a. d. XXIV Martii *Straguthae*, pago in Principatu Seruestano,
vbi tum sacra curabat Pater *Joa. Georgius Junack*, Vir
M. Rev., Philosoph. Mag., Dominus hereditar. in Goertzke,
et nunc Eichholzi, in agro Seruestano, Pastor,
quem vna cum Matre *Dorothea Henrica Sophia*,
b. Henrici *Toepferi* SS. Licent. Consistorii Wernige-
rodenfis Consilarii, et Concionatoris Aulici filia, viuentes
adhuc veneratur. Mature tradidit filiolo ipse Pater opti-
mus literarum et religionis rudimenta ita, vt septimo
ætatis anno tres linguas legeret, et aliquantum intelligen-
ret, itemque Arithmeticam et scribendi artem ita teneret,
vt concitatiolem cursum commode videretur admittere.
Itaque accuratoris institutionis causa *M. Strobachio*, Wite-
berga accersito, traditus est, cuius fidem etiam post fata
viri gratus celebrat: Sed plus etiam *M. Borsami*, itidem
Witeberga inuitati, qui illi succesit, dexteritati diligen-
tiaeque singulari se debere fatetur, quae sibi per IV annos
integros, ad literas Graecas, Latinas et Gallicas, nec non
ad Philosophiae elementa percipienda, egregie profuerit.
His studiis ornatus A. C. CIO DCC XLV, optimi Parentis iussu,
Seruestani

Serueftam in Gymnafium Academicum fe contulit, vbi
ductu maxime *Henrici Augufti Toepferi*, auunculi fui, ad
humaniora ftudia, ad Mathefin, ad Philofophiam Wolfianam,
Theologiam etiam, et Hebraicas literas tanto ardore incu-
buit, vt ab vnoquoque ad academiam abunde inftitutus in-
dicaretur. Itaque mittitur Lipfiam, circiter 1700 XLVIII, qua in
vrbe cultiffima aequae atque amoeniffima, praeter alios,
inprimis *Vincklero*, *Crufio*, *Deylingio*, *Hebenftreitio*, *Joechero*,
Phyficam et, cum reliqua Philofophia, Theologiam et Hi-
ftoriam profitentibus, operam fedulam, per tres annos, de-
dit. Quibus exactis, falutata patria et parentibus, Goettin-
gam profectus eft M DCC LI, in qua academia Prae-
ceptores ac Patronos coluit viros magnos ac celeberrimos
Gesnerum, *Moshemium*, *Michaelem*, quibus praeeuntibus tum
variis theologiae partibus et Juri ecclefiaftico, tum Hebraicis,
Chaldaicis, Syriacis, Arabicis, Rabbinicis literis vacauit; in
Seminario autem Philologico, cui Illuftris Gesneri beneficio
adferiptus erat, ad interioris philologiae graecae latinaeque
ftudium incubuit, et latine dicendi differendique faculta-
tem exercuit: cuius rei testes extant orationes duae, al-
tera b. *Schroederi*, fodalis in Seminario, altera *Toepfferi*,
auunculi fui, memoriae confecratae. Denique nec Angli-
cam linguam, Cl. *Thomfoni* Magiftro, leuiter tractauit. In
tanto Studiorum optimorum ardore, et magnorum virorum
beneuolentia mirum non eft, magnum in Noftra academi-
cae vitae amorem exortum effe, inprimis cum praeter opi-
nionem eius Summi Patroni maiorem ipfi facerent fui fidu-
ciam, quam ipfi, qua eft modestia, vltro in mentem ve-
nire potuiffet. Secutus tamen eft reftitricis rerum Proui-
dentiae nutum, et fibi propofitam ab ILLVSTRISSIMO
DOMINO AC PATRONO NOSTRO conditionem
C accepit,

accepit, sumtoque, in academicorum studiorum rite ab-
solutorum testimonium, *Magistri bonarum artium* titulo,
editaque in eam rem erudita disputatione *De Depend-
entia intelligentiae humanae a voluntate diuina*, nunc in eo est,
vt in munus sibi demandatum solemniter immittatur.


Quod REVERENDISSIMI PRAESIDIS NOSTRI
auspiciis, IPSOQUE praesente, fiet a. d. VII Junii H. IX
antemeridiana a me, habita oratione *de Autoritate Prae-
ceptoris*: vbi opportunitas etiam mihi dabitur, plura de
spe, quam de doctissimo *Junackio* nostro pridem concepimus,
dicendi.

Ipse autem oratione *de publico doctoris scholastici sensu*
dicenda, gratisque Deo ac Patronis agendis, publicum
docendi munus auspiciabitur.

Quem Actum scholae nostrae, vti certe speramus,
maxime salutarem, diuque exoptatum, vt REVERENDIS-
SIMVS ILLVSTRISSIMVSQVE PRAESES NOSTER,
PATRES HVIVS CIVITATIS AMPLISSIMI, et qui-
cunque scholas et iuuentutem, hoc est posteritatem,
amant, bonasque literas apud nos colunt, ornant, tuentur,
benigna, honorifica ac iucunda praesentia sua illustrent,
illud Collegae mei coniunctissimi, meoque nomine demisse,
officioseque rogantur.



aktg 430



G.K.
514
37.

X 2313048

II 9
430

AD
PVBLCAM RENVNCIATIONEM
CONRECTORIS
IN MICHAELEO LVNEBVRGENSI
A. D. VII. IVNII H. L. Q. C.
CELEBRANDAM

ILLVSTRISSIMVM AC
REVERENDISSIMVM
PRAESIDEM

NEC NON
PATRONOS, FAVTORES ET
CVLTORES LITERARVM
INCLITAE VRBIS HVIVS RELIQVOS
INVITAT
ET
NVM HONORIFICVM SIT OPTIMIS AVTORIBVS
IN SCHOLIS PRAELEGI
PAVCIS DISQVIRIT
IO. MICHAEL HEINZIVS
RECTOR.

LVNEBVRGI, TYPIS STERNIANIS.
C10 1000 LIV.

